



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

De restitutione fructuum rei injustè ablatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

& equus de valore decreverunt. Ratio est quia pro tempore accedenti nullum fecit damnum Antonio Petrus, pro tempore praesenti jam reddit quanti res valet. Pretium enim illud medium maius, licet, ut ita dicam, perierit, dum res fuit in manu furis, & quæ tamen perierit in manu domini, quia illo valore, & supponimus, Antonius ulus non esset. At *1. fr. §. 9. ex probabili sententia dicimus*, quando res æque peritura erat in manu domini, sicuti perit in manu furis, nihil à fure debetur, quia in nihilo dominus dannificatus est.

20. Confirmatur: quia, si res extaret, neque satis esset, si solum triticum, suumque equum dominus Petrus redderet; ergo si consumpsit, non nisi valorem ejus temporis debebit, quia non consumpsit nisi rem tanti valoris.

21. Ex expensis, quas medio illo tempore fecit Petrus, eas tantum sibi poterit Petrus compensare (retinendo scilicet aliquid de restitutione) quas necessarium fecisset dominus, & his enim domino non damnum intulit, ut in simili *supra dictum est num. 9. sine*. Quid autem fiet, in dubio, an dominus servaturus esset, &c. Vide *num. 7.*

De Restitutione fructuum rei injustè ablata.

22. Fructus rei injustè ablata, vel injustè retenta, vel etiam injustè destructa, omnes domino debent restitui à fure: lege fuscè apud Sanch. *lib. 2. in Dec. cap. 23. Less. lib. 2. cap. 12. dub. 17. Mol. tom. 3. d. 725. Dicast. lib. 2. de just. tract. 2. d. 2. dub. 5. num. 81.* Ratio est eadem, quæ dicitur *infra c. 3. §. 5. n. 2.* Fructus, inquam, tum rei, qui vocantur fructus naturales, ut est partus Ancillæ, pullus ex equa, herba ex campo sylvestri, glâs ex arbore non culta, &c. tum rei, qui appellantur fructus misti, idest, qui sunt partim ex ipsa natura partim ex industria, sive parva, sive magna, v. g. frumentum, vel fructus, qui colliguntur ex agris, caseus ex ovis, &c. ubi partim adest industria colentis, partim ipsa natura soli, vel ovis.

Dixi (sine magna) nam quando maxima est industria, & modicissima vis naturæ, cum parum pro nihilo reputetur, vocarem potius fructum illum meræ industria, quam mistum: at in hoc solum casu sequor Thomam Sanch. *loc. cit. num. 48. Dicast. loc. cit. d. 5. dub. 3. n. 30. docentes*, in mistis, ubi plurius est industria, vocari fructus industriales, ubi plurius naturæ naturales. Sub fructuum mistorum etiam nomine veniunt fructus civiles, quale est pretium locationis domus, vel equi, ad hoc enim lucrum concurrunt domus, vel equus simul cum industria locantis.

Fructus meræ industria, quale est lucrum, quod ex negotiatione pecunie alienæ acquisiti, non sunt restituendi, quia, quod ex sola industria tua est, tuum esse ipsum lumen naturæ docet, ut potè lucrum personæ, non rei. His jactis fundamentis, sit.

Regula prima.

23. Fructus rei injustè ablata tum naturales, tum misti, semper debentur domino, etiam si apud dominum res non tantum fructificaverit, fructificavit tamen apud possessorem; & etiam si domum, v. g. dominus non locasset, possessor tamen locavit, & etiam si fur fructus illos quomodocunque consumpsit, nec in ullo fuerit factus ditor; & etiam si illi fructus fuerint percepti à re; per furis diligentiam, perque ejusdem expensas meliorata. Ita Sanch. *l. c. n. 130. Less. l. c. n. 119. Mol. l. c. Dicast. loc. cit. n. 84.* alios citantes. Quidquid enim alij dicant in oppositum, apud Sanch. *l. c. n. 130.* quod probabile iudicant Less. *l. c. n. 119.* & Dicast. *l. c. n. 87. cit. Cou. & Sot.* Ratio nostra est, quia res semper fructificat pro suo domino: Et ex alia parte, hæc obligatio oritur ex injusta acceptione; quæ semper manet donec fiat aequalitas, ut sæpè dictum est, solum excusari fur poterit in eo casu

quo, sine gravi ipsius culpa fructus sint omnino sumpti; quod, evenire potuit, si, dum ipse vellet restituere, nec posset, & destructi casu fuere, &c.

Regula Secunda.

24. Quamvis lucrum ex negotiatione pecunie hæc non sit restituendum, tamen restituendum est damnum, quod forè emerit domino, & lucrum, quod cessavit, si eam pecuniam; quæ per te caritatem negotiationem ille tradidisset, ut ex dicto patet. Locus illud, quod dominus non solum communi, sed etiam singulari diligentia de facto percepisset, debet restituere, quod percipere quomodocunque potest casu, vel fortuna. Ita Dicast. *loc. citato, num. 10.* alique, Ratio est, quia in illo damnum passus est dominus ex tua culpa, non verò in hoc.

25. Ex dictis solves illam dubitationem: An possessor malæ fidei teneatur restituere fructus, quos fur non percepit ex re aliena, potuisset tamen percipere: solves, inquam, naviter distinguendo, cum *Less. Mol. Vasquez, aliisque apud Dicast. l. c. n. 75.* si dominus percepturus fuisset, tenebitur fur, quia tunc ex secunda regula fur fuisset domino causa damni, verò dominus non fuisset percepturus, fur neque tenebitur in foro conscientie (nam in foro exteriori cogitur fur restituere ea, *leg. si fundum, de rei vindicatione*, Sanch. *in decal. lib. 2. c. 2. num. 110.*) quia non dampnificavit dominum, & ex alia parte nihil accepit à re aliena, nec iuste, nec injustè, cum malus fructus accepit, ut supponimus.

26. Solves item illam aliam difficultatem: An teneatur restituere fructus, quos dominus percepit ex turpi usu suæ rei. Solves, inquam, diligenter distinguendo: si enim percepisset ex re sua inhoneste, idest, peccando, ita ut lucrum secutum fuisset ex ipso peccato, non tenebitur fur illud lucrum restituere, quia lucrum generis lucrum non est fructus rei, sed humanæ utilitatis: at si percepisset, licet peccando, non tamen ut lucrum secutum fuisset ex peccato: sed ex re ipsa, ex usu ipsius rei suæ, tenebitur, quia tunc lucrum fuisset fructus rei domini: sic solet obligari fur ad restitutionem pretij locationis domus, quam dominus, cum peccato locasset, perierit. Ita idem Dicast. *l. c. n. 75.*

27. De ejusmodi fructibus multa dicuntur *inferius de restitutione ex re accepta*, quæ omnino sunt hic applicanda ubi etiam propter materiam connexionem aptus quidam expensas possit sibi deducere possit, si forte fidei.

§. VIII. Etiam si res perierit.

¶ Si equus, v. g. injustè acceptus, vel casu perierit in manu furis, vel casu deterior evadat, non periturus, nec deteriorandus in manu domini, faciens omnes, furem debere restituere totum illius valoris, vel quanti existimatur à prudenti viro damnum, quod per illam deteriorationem factum est domino: et etiam damnum inde secuta, & in dubio, quod damnum consecuta essent, debere pro rata domij compensari. Ita S. Thom. *2. 2. quæst. 62. art. 6. in corp. Sot. Cov. Met. Sylvest. Tol. Petr. Nav. Reb. Val. alique apud Dicast. lib. 2. tract. 2. d. 2. dub. 4. n. 49.* Ratio est, quia fur omnium horum damnorum causa est.

2. Verum, si equus (idem de cæteris rebus) ita perierit, ut verbi gratia, ex incendio casuali, vel per justam hostium incursum, apud furem, ut eodem proisus modo periturus cerèd fuisset apud dominum: Aliqui obligationem restituendi in controversiam vocant. Lege *Contra Reg. peccatum, p. 2. §. 6.* & alios, quos ipse refert. Sed controversia non difficulter solvitur. Assero enim ex sententia probabilissima, tunc furem nihil debere. Ita Less. *lib. 2. cap. 12. dub. 15. Mol. tom. 3. d. 725. Vasq. de rell. cap. 5. §. 6. dub. 11. num. 66. Dicast. loc. cit. num. 52. cit. Sylv. Attil. Cou. Reb. aliisque*: quia tunc nihil damni re ipsa fuisset intulit,